



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ
Theologiæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

2 Vtrum sint figuralia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

dum. Quaedam uero sunt caeremonialia, quae non habent uim obligationis, nisi ex institutione diuina. Ad Deum autem pertinent non solum sacrificia oblatam Deo, sed etiam quaecumque pertinent ad idoneitatem offerentium, & Deum colentium. Homines enim ordinantur in Deum sicut in finem, & ideo ad cultum Dei pertinet, & per consequens ad caeremonialia praecipua, quod homo habeat quandam idoneitatem respectu cultus diuini, sed homo non ordinatur ad proximum sicut in finem, ut oporteat eum disponi in seipso in ordine ad proximum. Haec enim est comparatio seruorum ad dominos, qui id quod sunt, dominorum sunt, secundum Philo. in 1. Poli. & ideo non sunt aliqua praecipua iudicialia ordinantia hominem in seipso, sed omnia talia sunt moralia, quia ratio, quae est principium moralium, se habet in homine respectu eorum quae ad ipsum pertinent, sicut princeps, uel iudex in ciuitate. Scien dum tamen, quod quia ordo hominis ad proximum magis subiacet rationi, quam ordo hominis ad Deum, plura praecipua moralia inueniuntur, per quae ordinatur homo ad proximum, quam per quae ordinatur homo ad Deum, & propter hoc etiam oportuit plura esse caeremonialia in lege, quam iudicialia.

ARTICVLVS II.

Utrum praecipua iudicialia aliquid figent.

AD SECUNDVM sic proceditur. Videtur, quod praecipua iudicialia non figent aliquid. Hoc uidetur esse proprium caeremonialium praecipuorum, quod sint in figuram alicuius rei instituta. si igitur etiam praecipua iudicialia aliquid figent, non erit differentia inter iudicialia & caeremonialia praecipua. **¶** 2. Praet. Sicut illi populo Iudaeorum data sunt quaedam iudicialia praecipua, ita etiam aliis populis gentilibus, sed iudicialia praecipua aliorum populorum non figurant aliquid, sed ordinant quid fieri debeat, ergo utrumque praecipua iudicialia ueteris legis aliquid figurarent. **¶** 3. Praet. Ea quae ad cultum diuinum pertinent, figuris quibusdam tradi oportuit, quia ea quae Dei sunt, supra nos rationem sunt, ut supra dictum est, sed ea quae sunt proximorum, non excedunt rationem nostram, ergo per iudicialia, quae ad proximum nos ordinant, non oportuit aliquid figurari.

SED CONTRA est, quod Exod. 21. iudicialia praecipua allegorice, & moraliter exponuntur.

RESPON. Dicendum, quod dupliciter contingit aliquid praecipuum esse figurale. Vno modo, primo & per se, quia scilicet principaliter est institutum ad aliquid figurandum, & hoc modo praecipua caeremonialia sunt figuralia: ad hoc enim sunt instituta, ut aliquid figent pertinens ad cultum Dei, & ad mysterium Christi. Quaedam uero praecipua sunt figuralia non primo & per se, sed ex consequenti, & hoc modo praecipua iudicialia ueteris legis sunt figuralia: non enim sunt instituta ad aliquid figurandum, sed ad ordinandum statum illius populi secundum iustitiam, & aequitatem, sed ex consequenti aliquid figurabant inquantum. **S**icutus status illius populi, qui per huiusmodi praecipua disponebatur, figuralis erat, secundum illud 1. ad Corinth. 10. Omnia in figuram contigebant illis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod praecipua caeremonialia alio modo sunt figuralia quam iudicialia, ut dictum est.

AD SECUNDVM dicendum, quod populus Iudaeorum ad hoc electus erat a Deo, quod ex eo Christus nasceretur, & ideo oportuit totum illius populi statum esse propheticum,

& figuralem, ut Aug. dicit contra Faustum: & propter hoc et iudicialia illi populo tradita magis sunt figuralia, quae iudicialia aliis populis tradita; sicut et bella & gesta illius populi exponuntur mystice, non autem bella, uel gesta Assyriorum, uel Romanorum, quibus longe clariora secundum homines fuerunt.

AD TERTIVM dicendum, quod ordo ad proximum populo illo secundum se consideratus, peruius erat rationi, sed secundum quod referebatur ad cultum Dei, superabat rationem, & ex hac parte erat figuralis.

ARTICVLVS III.

Utrum praecipua iudicialia ueteris legis perpetuam obligationem habeant.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod praecipua iudicialia ueteris legis perpetuam obligationem habeant. Praecipua enim iudicialia pertinent ad uirtutem iustitiae, nam iudicium dei iustitiae executio: iustitia autem est perpetua & immortalis, ut dicit Sap. 1. ergo obligatio praecipuorum iudicialium est perpetua. **¶** 2. Praet. Institutio diuina est stabilior, quam institutio humana: sed praecipua iudicialia humanarum legum habent perpetuam obligationem. ergo multo magis praecipua iudicialia legis diuinae.

¶ 3. Praet. Apost. dicit ad Hebr. 7. quod reprobatio fit praecedentis mandati propter infirmitatem ipsius, & inutilitatem: quod quidem uerum est de mandatu caeremoniali, quod non poterat facere perfectum iuxta conscientiam seruientem, solummodo in cibis, & in potibus, & uariis baptismatibus, & iustitiis carnis, ut Apostolus dicit ad Hebr. 9. sed praecipua iudicialia erant utilia, & efficacia ad id, ad quod ordinabantur. sed iustitiam & aequitatem inter homines constituendam. ergo praecipua iudicialia ueteris legis non approbantur, sed adhuc efficaciam habent.

SED CONTRA est, quod Aposto. dicit ad Hebr. 7. quod translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat, sed sacerdotium est translatum ab Aaron ad Christum. ergo etiam & tota lex est translata. non ergo iudicialia praecipua adhuc obligationem habent.

RESPON. Dicendum, quod iudicialia praecipua non habuerunt perpetuam obligationem, sed sunt euacuata per aduentum Christi, aliter tamen quam caeremonialia. nam caeremonialia adeo sunt euacuata, ut non solum sint mortua, sed etiam mortifera obseruantibus post Christum, maxime post Euangelium diuulgatum. Praecipua autem iudicialia sunt quidem mortua, quia non habent uim obligandi, non tamen sunt mortifera: quia si quis princeps ordinaret in regno suo illa iudicialia obseruari, non peccaret, nisi forte hoc modo obseruarentur, uel obseruari mandarentur, tanquam habentia uim obligandi ex ueteris legis institutione. talis enim intentio obseruandi esset mortifera, & huius differentiae ratio potest accipi ex praemissis. **¶** Dicitur enim quod praecipua caeremonialia sunt figuralia primo & per se, tanquam instituta principaliter ad figurandum Christi mysteria, ut futura; & ideo ipsa obseruatio eorum praedicat fidei ueritati, secundum quam confitemur illa mysteria iam esse completa. Praecipua autem iudicialia non sunt instituta ad figurandum, sed ad disponendum statum illius populi, qui ordinabatur ad Christum: & ideo mutato statu illius populi, Christo iam ueniente, iudicialia praecipua obligationem amittunt. Lex enim fuit paedagogus ducens ad Christum, ut dicitur ad Gal. 3. Quia tamen huiusmodi iudicialia praecipua

Lib. 22. c. 24. in prim. 10. 6

Infra q. 108. art. 1. cor. & art. 2. cor. & ad 4. Et 2. 2. q. 62. ar. 3. ad 2. & q. 81. ar. 1. co. Et 4. di. 15. q. 1. ar. 5. q. 2. ad 1. Et quol. 2. ar. 8. cor. & quol. 4. art. 13. co. Et Hebr. 7. lect. 2.

Ar. preced.